

in animo natant: necessaria ergo sunt decreta, quae dant animis inflexibile iudicium. Denique quum monemus aliquem, ut amicum eodem habeat loco quo se, ut ex inimico cogitet posse fieri amicum; in illo amorem incitet, in hoc moderetur odium: adjicimus, justum est et honestum. Justum autem honestumque decretorum nostrorum continet ratio: ergo haec necessaria est, sine qua nec illa sunt. Sed utraque jugamus; namque et sine radice inutiles rami sunt; et ipsi radices his, quae genuere, adjuvantur. Quantum utilitatis manus habeant, nescire nulli licet; aperte juvant: cor illud, quo manus vivunt, ex quo impetum sumunt, quo moventur, latet. Idem dicere de praeceptis possum: aperta sunt; decreta vero sapientiae in abdito. Sicut sanctorum tantum initiati sciunt: ita in philosophia, arcana illa admissis receptisque in sacra ostenduntur; at praecepta, et alia hujusmodi, profanis quoque nota sunt.

Cic. Rhetor. I. 36. — *Ratiocinatio* est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet. Hoc de genere qui diligentius considerandum putaverunt, quum idem usu dicendi sequerentur, paululum in praecipendi ratione dissenserunt. Nam partim quinque ejus partes esse dixerunt, partim non plus, quam in tres partes posse distribui putaverunt. Eorum controversiam non incommodum videtur cum utrorumque ratione exponere. Nam et brevis est, et non ejusmodi, ut alteri prorsus nihil dicere putentur, et locus hic nobis in dicendo minime negligendus videtur.

Qui putant in quinque tribui partes oportere, ajunt, primum convenire exponere summam argumentationis, ad hunc modum: *Melius accurantur, quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur.* Hanc primam partem numerant: eam deinceps rationibus variis, et quam copiosissimis verbis approbari putant oportere, hoc modo: *Domus ea, quae ratione regitur, omnibus instructior est rebus, et*